

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

subiicitur, consummatione finem accipiunt, quam ποιητικὴν appellamus, qualis est pictura: fere iudicandum est, rhetoricen in actu consistere. hoc enim, quod est officii sui, perficit. Quod igitur Cicero dixit, quid agi, vel tamquam genus, vel tamquam speciem accipiamus hoc verbum: genus, vt se paratum ad omnia, quae Trebatius vellet, ostenderet: quod apertius indicauit, diuidendo mox genera in species, fieri, et curari: speciem, vt tribus verbis, agi, fieri, curari,

tria diuersa demonstrantur. aliud enim est, agi, et fieri; aliud curari, vt aliquid agatur, aut fiat. Tenuia fortasse videntur haec, neque digna satis, in quibus elaboretur. nos, quod ad vsum Latinae linguae pertineret, nihil vnumquam contempsimus. nec poenitet consilii. nam, si veteribus illis in scribendo similes esse cupimus; ponderanda singula sunt, vt ex multis partibus, apte conuenientibus, egregium illud, quod quaerimus, vniuersum fiat.

EPISTOLAE XIII.

ARGVMENTVM.

Intermissionis litterarum causam exponit: quam non agnoscente Trebatio, inde occasionem arripit liberius iocandi. Scripta eodem anno, et in interregno: quia dies adscripta, III. non. Mart. Interregnum autem sex mensibus hoc anno fuisse, iam diximus.

EXPLANATIO.

Adeone me iniustum esse existimas? Simile principium lib. 2. epist. 8. *Quid? tu me hoc tibi mandasse existimas, etc.* Sic et Coelius non semel orditur lib. 8.

Primis litteris Epist. 17. *Primorum mensum litteris tuis vehementer commonebar, etc.*

Satisfactionem Excusationem. lib. 8. epist. 12. *Posteaquam illum, ne, cui satisfacere quidem, me dignum habere sensi.* Et lib. 11. ad Attic. epist. 13. *Quintus mihi per litteras satisfacit, multo asperioribus verbis, quam cum grauissime accusabat.*

Testa Cognomen Trebatii, epist. 21. 22.

Quae tua gloria est Quae ambitio tua. Interdum gloriae no-

men pro inani quodam gloriae studio sumitur.

Artificium tuum Scientia iuris civilis.

Non ex iure manum ERN. manu confertum] Enniani versus ex octauo Annali, quos lib. 20. c. 10. recitat Gellius, hi sunt:

Pellitur e medio sapientia: vigeritur res.

Spernitur orator bonus: horridus miles amatur.

Haud doctis dictis certantes, sed maledictis,

Miscent inter sese inimicitias agitantes.

Non ex iure manu confertum, sed mage ferro

Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.

Eosdem

Eosdem versus ponit Cicero in orat. pro Murena c. 14. D. Augustinus lib. 15. epist. 8. Seruius in vltima ecl. Virgilii. Istic, ait, non litibus, vt Romae, sed armis res geritur: itaque metuo, ne fructum ex artificio tuo paruum capias. *Manum conferere*, et *manu confertum* vocare, non idem esse, Gellius loco supra nominato satis ostendit. *Ex iure*, inquit, *manu confertum*, *verba sunt ex antiquis actionibus: quae, cum lege agitur, et vindictiae continentur, dici nunc quoque apud praetorem solent.* Et infra: De qua re disceptatur, in re praesenti, siue ager, siue quid aliud est, cum aduersario simul manu prendere, et in ea re omnibus verbis vindicare. *Vindicta, id est correptio manus in re atque in loco praesenti, apud praetorem ex XII. tabulis fiebat.* — Sed postquam praetores, propagatis Italiae finibus, datis iurisdictionibus, negotiis occupati, proficisci, vindictarum dicendarum causa, in longinquas res grauabantur: institutum est contra XII. tabulas, tacito consensu, vt litigantes non in iure apud praetorem manum conferrent, sed ex iure manu confertum vocarent; — atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terrae aliquid ex eo, vti vnam glebam, in ius in urbem ad praetorem deferrent: et in ea gleba, tamquam in toto agro, vindicare. Idque Ennius significare volens, ait, non, vt ad praetorem solitum est, agi legitimis actionibus, neque ex iure manu confertum, sed bello ferroque, et vera vi, atque solida vadi. Quod videtur dixisse, conferens vim illam civilem, et festucariam, quae verbo diceretur, non quae manu fieret, cum vi bellica et cruenta. Haec Gel-

lius. Illud moneo, placere mihi quod aliis quoque placuisse video coniuncte legi, et vnico verbo *manuconfertum*, alioqui legendum videretur, *manus confertum*, ve *manuum confertum*. Si enim manus conferebatur; quod Gellius aperte demonstrat: certe, *manuum confertum*, id est, ad manum conferendam, vt Gellius idem interpretatur, non, *manu confertum*, dici debuit est etiam vetus apud me liber, in quo legitur vnico verbo, *manuconfertum*.

Sed magis ferro] Abiicitur s, in magis, metri causa. quod qui ignorabant, fecere, *mage*, vt in Gellio et in orat. pro Murena. in hac quidem epistola scripti libri omnes, nulla varietate, habent, *magis*.

Et tu soles ad vim faciendam adhiberi] Nonnulli veteres libri, *facundiam adhibere*: mendose: factum enim ex *faciundam*, *facundiam*: et vt facile ruit, quod inclinare semel coepit, mutatum est *adhiberi* in *adhibere*: vt esset, *adhibere facundiam ad vim*. sic deformata maculis pulcherrima sententia suam venustatem amiserat. habet enim leporem haec interrogatio, *et tu soles ad vim faciendam adhiberi?* in quo timiditatis arguitur Trebatius; qui, cum facienda vis esset, non adhiberetur. quod infra quoque demonstratur in iis verbis: *scio te non esse procacem in laceffendo*.

Neque est, quod illam exceptionem in interdicto pertimescas: quod tu prior vi hominibus armatis non veneris.] Omnes antiqui libri, non veneris. quod ideo dictum volui, ne quis, propter obscuritatem sententiae, mutandi licentiam arripiat. *Interdictum* quid sit, docuere

cuere multi. est autem praetoris actio, cum aliquem in eam possessionem, unde vi deiectus est, restitui iubet, donec iudicio planum fiat, vter possidere debeat: exceptionem tamen his fere verbis addere consuevit: *nisi si, qui restitui postulat, prior vi hominibus armatis praesentem possessorem deiecit*. Iocatur hic Cicero cum Trebatio, tamquam cum homine bellica certamina libenter vitante: numquam, ait, ad te pertinebit illa exceptio, qua praetor in interdicto vti solet, quod tu prior vi hominibus armatis quemquam de possessione deieceris. facit enim tua timiditas, ne quem prior laedas. Huic sententiae videtur illud, *non veneris*, aduersari: nam exceptio illa non solebat in eum fieri, qui prior vi hominibus armatis non venisset, sed qui prior venisset. Vidit hoc olim Bernardinus Rutilius, putauitque legendum, *conueneris*. Alii post eas, non discedendum a veteribus libris, recte censuerunt: sententiam tamen Ciceronis non omnino, vt arbitror, sunt assecuti. nam, quod aiunt Ciceronem hoc dicere, non esse Trebatio pertimescendam exceptionem illam, qua vtuntur illi ad praetorem, qui cum confessi sint se deiecisse, clamant tamen se non interdicto teneri, nec debere restituere; nam se prius ab aduersariis vi hominibus armatis deiectos esse: ego non arbitror exceptione illa eos ad praetorem vti solitos, qui aliquem de possessione deiecerant; sed ipsum praetorem, cum eum, qui deiectus erat, interdicto restitui iuberet, excipere solitum esse, nisi is, qui postularet interdictum, prior vi hominibus armatis aduersarium deiecisset. quod si probare-

tur, interdictum ei nullam opem ferebat; sed vetus possessor, donec lis ad exitum peruenisset, in suo statu permanebat. Non dubium est autem, cum ait Cicero, *quod tu prior vi hominibus armatis non veneris*, vtitata cum exceptionis verba recitare; sed particulam, *non*, addit de suo, ioci causa, et immutat exceptionis morem, vt Trebatio timiditatis notam inurat: quasi minime prior venisset vi hominibus armatis. Eadem licentia, cum iocaretur, peruenit historiam Cicero, siue fabulam potius lib. 1. epist. ult. Nam cum dicturus esset, *tamquam Vlysses, cognosceris a tuorum nemine*; (id enim Vlyssi contigit, nec eum, praeter canem, quisquam cognouit) repente mutauit, et dixit, *tamquam Vlysses, cognosces tuorum neminem*. ita, quod volebat, obiecit ignobilitatem Valerio, et paucitatem propinquorum: quam obicere non poterat, si dixisset, *cognosceris a tuorum nemine*. Cum haec legisset, admodum probauit egregius iuriconsultus, a recentiorum iuriconsultorum barbarie longe remotus, quodque multo pluris facio, moribus et probitate excellens, vetere mihi necessitudine coniunctus, Octavianus Populus Mediolanensis.

Non esse procacem] Hoc addit Cicero, quasi sensum exceptionis iam expressisset: quem tamen ostendimus ioci causa esse immutatum.

Ego quoque] Licet iuriconsultus non sim, nam iuriconsultorum est, aliis cauere. epist. 6. et lib. 3. epist. 1.

De nostris cautionibus] Pro, e nostris cautionibus. *Nostris*, inquit, iocans: quia iuriconsultorum

rum

rum cautiones erant: et oratorem cauere iuriconsulto, miſum videtur.

Treuiri] Galliae populos, Rhe-
no flumini finitimos: qui, accerſi-
tis Gallorum auxiliis, cum Labie-
num, Caesaris legatum, obſediſſent,
ab eo caſtris erumpente fuſi fugati-
que ſunt. Caesar lib. 5. de bell.
Gall. c. 58.

Capitales] Exitium ferentes, ca-
put petere ſolitos. Phil. 5. c. 12.
*Legi epistolam Antonii, quam ad
quendam septemviri, capitalem
hominem, collegam ſuum, miſerat.*
Et lib. 4. de Fin. c. 12. *capitalis
aduerſarius.* Iocatur hic Cicero
in verbo *capitales*, quia Romae
triumviri capitales erant.

*Mallem auro, aere, argento
ERN. argento, aere eſſent*] Tre-
viri erant, vt diximus, in Gallia:
Treviri item Romae, qui *moneta-
les* dicebantur, quia monetae prae-
erant, id eſt, auro, argento, aeri,
tum flando, tum feriundo: quod
illa veterum nummorum inſcri-
ptio declarat, A. A. A. F. F. qua
de re editam olim a nobis Petri
Bembi, viri plane ſingularis, epi-
ſtolam hic ſubſcribemus.

PETRVS BEMBV. BER-
NARDINO SANDRO S.

*Quod hodie mane quaerenti tibi
a me de illis Ciceronis ad Treba-
tium verbis: Treuiros vites cen-
ſeo: audio capitales eſſe: mallem
auro, argento, aere eſſent: respon-
di, iocum eſſe et multiplicem, et
feſtiuum: qui quidem iocus in an-
tiquis et nummis et ſcriptoribus
deprehenderetur: itaque, quoniam
eram in via, vt neque libros, ne-
que nummos haberemus, reieci te*

*in alium diem; id, ne te diutius
torqueat, eſt eiſmodi, vt ioci
cauſſa, quod quidem Cicero ad il-
lum ſcribens more ſuo fere ſemper
facit, et Treuiri, et capitales in
ambigui genere ſint poſita. nam,
cum videatur monere illum, vt vi-
ret Treuiros Galliae populos, qui
capitales bellicoſique ſint; ludit
cum in Treuiriſum, tum in capi-
taliſum verbo. erat enim Romae
magiſtratus, Triumviri capitales,
qui etiam Treuiri dicebantur. ſed,
quoniam hoc ipſum Triumvirum
nomen iterum in ambiguo poni po-
terat, cum eſſent etiam apud Roma-
nos Triumviri pecuniae eudendae:
quos ita inſcribebant, A. A. A. F. F.
hoc eſt, auro, argento, aere flando,
feriundo: iocatur iterum in hoc
verbo, luditque Cicero, vt mihi qui-
dem videtur, belliffime, addens,
mallem Treuiros iſtos eſſe pecunio-
ſos, quam bellicoſos; vt, Caefare
eos vincente, tu diſceſceres. itaque
inſert, mallem eſſe Treuiros auro,
argento, aere, quam ſcilicet capi-
tales. Triumviriſum autem Treui-
ros ſolitos dici, Liuius ſatis locu-
ples eſſe teſtis poteſt: cuius ſunt
haec lib. 40. c. 29. Colonia Gra-
viſere eo anno deducta eſt in
agrum Etruſcum, de Tarquinenſi-
bus quondam captum. Quina iu-
gera agri data. Treuiri deduxe-
runt, C. Calpurnius Piſo, P. Clau-
dius Pulcher, C. Terentius Iſtra.
Quod vero Triumviri pecuniae ſc,
*vt dixi, inſcriberentur; eſt apud me
nummus aereus perantiquus ita
inſcriptus, C. PLOTIVS. IIII.
VIR. A. A. A. F. F. ſunt et alii
nummi aliorum nominum, eiſ-
dem tamen tituli; quos inſpicias,
cum voles.* Haec ad te ſcripſi,*

Gg 2

cum